

4. Nos utriusque Articuli tractationem hac vice expedituri, filum prototypi secuti, de hisce Questionibus συζήτησιν instituemus: 1. Quod sit. 2. Quod dura. 3. Sancta. 4. pérpetuo duratura Ecclesia, 5. Quid sit Ecclesia & 6. quæ ejusdem certæ notæ sive γνωρίσματα.

Quæstio I. An sit Ecclesia.

5. Esse Ecclesiam apudpios quosvis extra omnem dubitationis aleam est positum: imò apud Adversarios etiam habetur pro certo & indubitato: licet in modi descriptione illi dissentiant.

6. Idem docet Articulus Symboli Apostolici, quo quisque Christianus confitetur: Credo Ecclesiam.

7. Qua professione se iungimur partim ab Epicuri grege. qui Deum rerum humanarum pert̄sum, superarum duntaxat & cœlestium rerum cura affici per detestandam ἀθεότητα singunt: partim ab eorum ματαιλογίᾳ, qui Ecclesia terminos, ejusdem cum mundo latitudinis esse, somniantes, quem que in sua religione, etiam extra cœtum fidelium & renatorum salvandum esse delirarunt. Quem errorem præ ceteris fovet Gens Calvinistica, uti patet ex Confessione Cinglīj, quam paulo ante tragicum suum exitum ad Galliarum Regem scripsit, in loco de vita æterna.

8. Est verò Ecclesia isthæc, quæ Esse ac credi dicitur, non idea aliqua Platonica: non spectrum quod-